

tuatae, quarum una vocabatur Nova villa et reliqua Antiqua villa vocabatur^a ad partem australem, ad quam in invasione castrī Romani se ponebant et se fossis ac munitionibus circumdederunt hoc^b ipsum castrum obsidendo. Sed reliqua villa locabatur versus aquilonem.

Obsesso sic igitur^c castro nominato per Romanos (seu ut alii volunt^d Francos), aliquando custodes Romanorum (seu Francorum) custodientes exercitum eorum perceperunt, quod castrales cum assistentia confinium suorum ipsos invadere et impugnare^e conabantur. Quibus perceptis Romani (Franci) obsidentes castrum frequenter, quotiens hoc intellexerunt, totiens unanimiter voces et rugitus emisere terribiles et minatorias clamantes et dicentes 'Trot, Trot', quasi dicerent: nos non invadetis nobis resistendo, sed potius cogitetis, quomodo vos humiliatis vestra^f colla nobis subiiciendo, cum nobis in minimo resistere non possitis. Quem clamorem audientes castrales in castro existentes et rurales in villis existentes et morantes admirative, cum nihil aliud^g linguae et loquelae Romanorum intelligerent, quam illum sonitum videlicet 'Trot, Trot', et ipsos fore masculos fortes conspexerunt, ipsos Trotmannos nominaverunt et illud nomen diu et usque in hodiernum diem sequaces eorum ibi manentes tenuerunt et tenent^h.

Cum ergo isti Romani, quos Trotmannos vocabant, castralibus fortiores fuerunt, ipsos ultimo debellaverunt, areasⁱ, spolia et arma sua sibi acceperunt et habitationes suas ibi fixerunt et villas novam videlicet et antiquam iuxta castrum sitas simul coniunxerunt et combinauerunt^k et inde oppidum sibi et sequentibus suis construxerunt. Et per istam coniunctionem villarum, quia castrum iuxta quod erant sitae duae^l villae praedictae dicebatur Munde, ideo ipsum oppidum nominabatur Dorpmunde, alse 'Dorpe' scilicet 'twe' und 'Munde' 'castrum'¹. Qua combinatione facta Romani ibidem manentes et non ad propria remeantes uxores nobilissimas terrae acceperunt et dominium suum longe lateque diffuderunt, castra et civitates circumquaque iacentes nondum subiugatas potentissime sibi subiugarunt^m et sic tempus suum multis annis in crudelitate et paganismo consumseruntⁿ.

Sed Iesus dominus et salvator totius creaturae rationalis volens sanctam matrem ecclesiam nostram augmentari, Trotmannos nondum conversos caeterasque^o oves suas obduratas

a) AB 'locabatur'. b) Vor 'hoc' in ABC ein überflüssiges 'et'. c) BC 'igitur sic'.
d) A 'vocant'. e) C 'opprimere'. f) ABC 'vestraque'. g) C 'aliud nihil'.
h) B 'timuerunt et timent'. i) A 'artas', corrigiert 'arcus'. k) B 'comburaverunt'.
l) 'duae' fehlt in AB. m) BC 'subiugaverunt'. n) B 'consumpserunt'. o) C 'exterisque' am Rande 'al. caeterasque'.